



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Controversia Vnica. An & quomodo sit efficax probatio conclusionis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

na verbi generatione. Denique *Psalm. 109.* dicitur, *A Ex vtero ante luciferum genui te.* Ad quorum locorum intelligentiam considerandum est ex D. Tho. *4. con. gent. c. 11.* in humana generatione duo semper esse principia; vnum actiuum quod est in patre, & aliud passiuum quod est in matre; adeo vt in humana proli generatione, diuisa sint à natura principia & distinctis suppositis distributa. Nam actiue communicare naturam ac speciem proli, tribuitur patri: concipere vero ac parere conuenit matri. Sed cum diuina natura nihil imperfectionis admittat, nullum erit passiuum, sed actiuum tantum diuinæ generationis principium, quod Pater est, in quo excellenter vniuersa, quæ ad humanam generationem necessaria sunt, seculis imperfectionibus continentur. Quo fit vt sacræ litteræ nomina Deo tribuant, vteri, conceptus & partus, ad exprimendum iuxta modulum intelligentiæ nostræ, diuinæ generationis sacramentum. Vnde etiam Mercurius Trimegistus, vt refert Augustinus Euginus *lib. 1. de perenni philosophia, c. 23.* diuino forlitan ductus afflatu diuini verbi generationem sic exprimit: *Intelligentia illa Deus, cum maris ac femina vim haberet, & vita & lumen esset, genuit verbum alteram scilicet mentem opificem.* Dei vero Patris vterus, in quo filius concipitur, est eius intellectus. Et quoniam id quod generatur, quandiu in generante manet, dicitur conceptum; idcirco vt intelligamus sapientiam genitam, quæ Filius est, non recedere à Patre, sed in eo semper manere, dicitur concepta. Sed quia dum proles in vtero continetur, nondum habet ultimam sui perfectionem, vt per se subsistat; vt ostendatur omnino perfecta, subditur *Sap. 8. Quando preparabat celos aderat cum eo cuncta componens.* Concipitur itaque diuinum verbum à Patre & in eo manet & ab eo procedit ac propria personalitate subsistit: Similitudo autem illa, qua vtitur D. Augustinus *lib. 9. de Trinit. cap. vlt. &* recentiores amplificat, sobrie ac (vt aiunt) cum grano salis est intelligenda. Est autem hæc similitudo. Quemadmodum ad materialem animalis generationem tria requiruntur, scilicet pater & mater ac feminis infusio in vterum matris, quo semine locum viri gerente scemina prægnans efficitur, proles concipitur & generatur, & tandem sequitur partus per quem proles in lucem emittitur; ita pariter ad intellectualem verbi conceptionem, & generationem tria concurrunt in nobis, obiectum actui intelligibile quasi masculus seu pater, anima seu intellectus possibilis quasi mater, & species intelligibilis impressa quasi semen, ab obiecto tanquam patre, in vterum intellectus tanquam in matris vterum transmissum loco viri, scilicet obiecti, quo semine scilicet specie, anima per intellectum efficitur prægnans, & concipit verbum quod est species expressa, tandem parit ac prolem in lucem emittit; quatenus verbum à producente, immò & ab ipsa productione & productionis principio remanet in nobis realiter distinctum. In qua similitudine cauendum est, ne dicamus obiectum esse principium conceptionis vt quod, & consequenter etiam existimemus diuinam essentiam, quæ obiectum est per se primò diuini intellectus, esse principium vt quod diuinæ conceptionis & generationis; de hoc enim fieret consequens necessariò diuinam essentiam esse Patrem diuini verbi & realiter ab eo distingui, quod est hæreticum. Accipienda est igitur Patris, quoad hoc tantum cum obiecto similitudo, vt vtrumque intelligamus in suo ordine conceptionis esse principium, quamuis v-

Augustini
similitudo

triusque sit valde differens modus ac ratio principij. Nam in materiali ac sensibili generatione patet principium est generationis vt quod; in intelligibili vero conceptione, obiectum secundum esse suum intelligibile, principium est & ratio conceptionis vt quo: intellectus autem siue potius intelligens actiuatus ipso intelligibili per speciem representato, principium est intelligibilis conceptionis & generationis vt quod. Et ex his apparet intellectus illius sacræ metaphorsæ *Psalm. 109. Ex vtero ante luciferum genui te.* Sensus enim est: Ex intellectu meo, præsentia substantiæ siue essentiæ meæ & eiusdem secum vnitæ fecundo genui te.

CONTROVERSIA VNICA.

An & quomodo sit efficax probatio conclusionis?

QUAMVIS de processione diuini verbi probetur in hoc discursu generationis propriè dictæ diffinitio quo ad singulas eius partes: de solius tamen vltimæ particule probatione nobis est hic cum expostitoribus controuersia: Nam cæterarum probationes partim ex prænotatis sunt euidenter, & partim erunt diligenter examinandæ in 4. huius q. a.

POSTREMA diffinitionis particula est, vt similitudo sit in eadem natura. Hanc de verbi diuini generatione sic probat S. D. In Deo idem est intelligere & esse: ergo processio verbi in diuinis dicitur generatio, & ipsum verbum procedens dicitur Filius. Cuius probationis vim explicat S. Tho. in *4. con. gent. c. 11.* vbi sic loquitur: Cum autem intellectus diuinus non solum sit semper in actu, sed etiam sit ipse actus purus; oportet quod substantia intellectus diuini, sit ipsum suum intelligere, quod est actus intellectus: esse autem verbi interius concepti, siue intentionis intellecta est ipsum suum intelligere: idem ergo est esse verbi diuini, & intellectus diuini, & per consequens ipsius Dei, qui est suus intellectus: esse autem Dei est eius essentia, vel natura, quæ est idem, quod ipse Deus, verbum igitur Dei est ipsum esse diuinum, & essentia eius est ipse verus Deus. Non autem sic est de verbo intellectus humani: cum enim intellectus noster seipsum intelligit, aliud est esse intellectus, & aliud ipsum eius intelligere. Sequitur ergo, quod aliud sit esse intentionis intellecta, & aliud intellectus ipsius: cum intentionis intellecta esse sit ipsum intelligi. Vnde oportet, quod in homine intelligente seipsum, verbum interius conceptum non sit homo verus naturale hominis esse habens, sed sit homo intellectus tantum, quasi quadam similitudo hominis veri ab intellectu apprehensa. Hæc D. Thom. Cuius discursus tota vis in hoc videtur consistere, quod hæc omnia sunt idem realiter in Deo, nimirum intelligere, intelligi, esse verbi, esse intellectus, esse Dei, intellectus Dei, Deus ipse, & eius essentia. Ex quo sequitur, quod verbum Dei sit ipsum esse diuinum & essentia Dei & Deus ipse. Nam vt hic aduertit Caietanus, vbicunque intelligere, quod semper identificatur cum intelligi, est accidens, ipsum quoque verbum est accidens realiter distinctum ab intelligere & intelligi; vbi autem intelligere est esse substantiale, ipsum quoque verbum est substantia. Cum igitur in Deo intelligere sit esse substantiale, in nobis autem accidentale, ipsum quoque Dei verbum est substantia, nostrum autem accidens. Radix huius veritatis est: quia esse rei naturale consequitur essentiam rei vt eius vltima actualitas, & ad idem genus & speciem pertinet cum re, cuius est esse. Vnde quemadmodum essentia lapidis spe-

status controuersie. Sententie expostitorum, & rationes dubitantes

spe-

species est substantiae: essentia verò lucis species qualitatatis, ita esse lapidis ad speciem lapidis, & ad genus substantiae pertinet; esse verò lucis ad speciem atinet lucis & ad genus qualitatatis. Et quia diuinum esse, quod est idem cum essentia diuina, non potest esse actus alicuius ab eo diuersi: idcirco si esse diuinum est esse verbi, necesse est ut verbum sit idem, quod esse & essentia Dei.

Sed hunc dicendi modum cum subtili defensione Cai. & Ferr. inferius explicanda, reijcit Syluester in conflatō, quem secutus est Val. dicens expositionem Cai. nec esse satis firmam, nec satis ad rem pertinere. Eiusdem sententiae videtur fuisse Mol. qui ait probationē hanc vix apud Sectatores D. Tho. explanationem habere, quae omnino intellectum expleat; Ipsa verò communiori ac faciliiori quadam via virtutem explicat probationis. Zumellus eandem Cai. & Ferrar. explicationem reprehendit, eo quod rem exacte non aperiat & difficultatem non dissoluat ac pleraque falsa contineat. Eius rationes inter argumenta proponuntur. Profert autem duos modos exponendi propositionem illam *intelligi esse esse verbi*, distinctos (vt ipse ait) à sensu Caiet. & Ferr. quos tamen nec satis explicat nec apparet eorum distinctio à modo dicendi dictorum expositorum: quoniam in explicanda sua sententia & dissolue dis argumentis, vtitur passim doctrina & expositionibus Cai. & Ferr.

Partitio.

Vt verò breuis & perspicua quantum fieri poterit, sit proposita Controversia resolutio: proponemus primò rationes dubitandi. Secundo ex D. Th. Cai. & Ferr. proferemus & explicabimus fundamenta veritatis. Tertiò propositis singulis dicendi modis ex alijs expositoribus, ostendemus eorum minus aequam fuisse censuram in Caiet. & Ferr. Postremò deductis conclusionibus, quae contra singulas militantes aduersariorum argumenta, confutabimus.

Rationes dubitandi.

Sunt autem duae rationes dubitandi. Prima est: quia si esse verbi consistit in intelligi, sequitur quod intelligi non sit esse reale ipsius conceptus, nec sit idem quod intelligere, & consequenter quod in Deo non sit idem quod ipsum esse diuinum & ipsemet Deus. Probatur sequela: quoniam intelligi nihil reale ponit in re intellecta. Secunda ratio dubitandi est: quia actus intelligendi distinguitur realiter à verbo, & est ipsum esse intellectus in actu perfectio; igitur non potest esse ipsum esse conceptus. Consequenter probatur: quia non apparet, quomodo duo realiter ab inuicem distincta possint habere vnum & idem esse.

Resolutio. Proponitur & explicatur duo omnia veriorum minima.

Pendet huius quaestiones resolutio ex duobus communibus, & duob. alijs diuinæ naturae particularibus. PRIMVM COMMUNE est esse reale verbi quod est intelligi, & modus quo est eius esse reale. Hoc verò subtiliter hic explicat Cai. qui tria considerat in verbo mentis. Primum est quod sit intellectus in actu; ex quo sequitur ut esse verbi, quatenus sic actu intellectus est, sit intelligi; quemadmodum esse rei visae in actu, quatenus actu videtur, est videri; & esse rei imaginatae ut sic est imaginari; nec de hoc vlla potest esse dubitatio. Secundum est quod verbum sit interius intellectus, i. intra intellectum existens, ut actualis imago, & per se primò intellectus obiectum, in quo res intellecta actu intelligendi exprimitur & manifestatur intellectui. Et ex hoc sequitur, quod esse verbi in hoc consistat, quod est sic intelligi, nimirum ut intellectus interius, i. ut per se primò intellectus, in quo res intellecta exprimitur actu &

intellectui manifestatur. Hoc verò quod est sic intelligi, non est ens rationis sed reale: quoniam esse esse expressam actu similitudinem obiecti, quod est esse reale, sicut & ipsa similitudo realis est. Cuius rei argumentum est, quod cessante tali esse, nimirum intelligi sic &c. definit & ipsa similitudo, scilicet verbum ipsum, quod absque actu li intellectu passiuo non existit. Tertium sequitur ex secundo. Nam ex eo quod verbum est interius obiectum, ac per se primò intellectus, in quo &c. habet, ut sit vnū ex ijs quae ad perfectionem intellectus in actu concurrunt ex quo sequitur ut intellectio, quae est esse intellectus in actu, sit etiam esse verbi, cum verbum sit vnum, & quidem praecipuum ex ijs quae concurrunt ad perfectionem intellectus in actu; quemadmodum quia manus & pes partes quaedam sunt concurrentes ad vnus corporis humani perfectionem: ideo vno & eodem humani corporis esse subsistunt: & punctum quod ad lineam complementum concurrunt, idem habet esse cum linea.

Cum igitur ad constituendum intellectum in actu tria partium instar concurrant scilicet intellectus, species impressa, verbum, & quartum, scilicet intellectio non sit pars, sed esse intellectus in actu: erit etiam esse trium praedictorum, quamuis diuerso modo. Nam quatenus intellectio actiue sumitur videlicet ut est intelligere, est esse intellectus & speciei: ut verò passive sumitur, prout scilicet est intelligi, est esse verbi; quae differentia pendet ex alia: quia nimirum intellectio est esse intellectus & speciei, ut principiorum à quibus elicitur & quorum est operatio; verbi verò tamquam termini ipsius intrinseci, cui per se primò conuenit intelligi. Ex qua sequitur etiam alia, videlicet ut intellectio sit esse intellectus & speciei, ut vnus completi subiecti, quia est actio immanens, cuius principium est eius subiectum; verbi verò sit esse, ut obiecti scilicet intrinseci, & per se primò intellecti, & partis intellectus in actu. Denique intelligere non ita est esse intellectus & speciei ut sit illud, quo simpliciter intellectus, & species existant in rerum natura: Cum nullo intellectu considerante sit intellectus, & in eo species per modum habitus; igitur intelligere est esse intellectus & speciei, prout sunt in actu completo in genere intelligibili & multò magis verbi; in quo ordine proprium illius esse est esse cognitum ut obiectum interius; adeò ut oppositum implicet contradictio. Nam ratio verbi consistit in hoc, ut sit terminus intrinsecus intellectionis, & obiectum interius ac per se primò intellecti, ut saepe diximus; at hac sine actuali intellectione neque esse neque intelligi possunt; igitur nec etiam diuina virtute potest verbum, seruata ratione verbi, ab actuali intellectione separari; nam hoc ipso quod fuerit ab intellectione separatum, iam non erit illius terminus, neque erit obiectum intrinsecum, nec per se primò intellectum, id est, in quo cognito tanquam imagine cognoscat obiectum extrinsecum: Nisi enim haec insint actu verbo, non erit verè verbum, sed imago simplex: Et quemadmodum implicat esse intellectionem, quae actu ab intellectu non procedat, ita pariter implicat esse verbum, quod non actu pcedat ab intellectu media intellectione; quia sicut intellectio est essentialiter operatio vitalis; ita verbum essentialiter est vitalis terminus intellectionis; de cuius ratione est actu emanare ab intrinseco principio. Et hoc esse Verbi essentia simpliciter sequitur ad esse intelligibile.

Constituens intellectum in actu.

Intelligere est esse intellectus & speciei & verbi.

Verbi essentia simpliciter sequitur ad esse intelligibile.

ter, & de esse in ordine intelligibilium; nam illud ponit rem simpliciter extra nihil & est ultima rei actualitas simpliciter; hoc verò minimè, sed est tantum ultima in tali genere; in re tamen propo- sita coincidunt esse simpliciter & esse in genere intelligibili, ut perspicue patet ex supradictis.

*Nota com-
parationem*

Ex his sequitur primò quòd intelligere in nobis, nò ita distingatur realiter à verbo, ut sit omni- nò distincta qualitas habes esse, sed est ipsum esse verbi, atq; ab eo distinguitur eo serè modo, quo distinguitur in rebus naturalibus esse à forma cu- ius est esse. Dixi autem serè; quoniam intelligen- re ad verbum duplicem habet respectum; vnum tanquam actio ad terminum per eam productum; aliud tanquam esse ad rem per esse existentem in actu. Quare sicut in ordine naturalium non queritur aliud esse, quo existat ipsum esse existentia, sed ip- sum est quo res existit; ita in ordine intelligen- bilium non est querendum aliud esse intelligen- bile, quo ipsa intellectio existat in tali ordine, sed ipsa est esse quo fit intellectus in actu, & con- sequenter etiam verbum ipsa intellectione pro- ductum; quòd dico propter visionem beatifi- cam, quæ nullum habet verbum productum, quod per eam existat.

*Nota diffe-
rentiam.*

Secundò sequitur ex dictis differentia inter in- telligi respectu obiecti ad intra quod est verbu, & idem intelligi respectu obiecti ad extra quod verbo representatur. Nam intelligi nihil ponit in obiecto extrinseco, nisi relationem rationis & extrinsecam denominationem, qua dicitur intel- lectum; in intellectu autem ad intra siue verbo, ponit esse reale intelligibile, sc. esse imaginem rei intellectæ, & esse terminum, & obiectum intel- lectus.

Exemplum.

Quòd quidam explicant exemplo oris cor- porei; Nam cum sensibiliter loquimur, duo dici- mus, sc. verbum & re verbo significatam; & in re quidè significata nihil ponit nostra locutio, nisi respectum rationis & denominationem extrin- secam, qua res nuncupatur dicta vel significata; at in verbo sensibiliter prolato ponitur ipsa locu- tione siue dictione, totum illud esse reale quod habet: verbum enim sensibile nullum aliud ha- bet esse quàm illud, quod ipsa prolacione susci- pit, à quo proinde denominatur intrinsece dic- tum. Sic itaque intellectio nullum esse reale po- nit in re verbo representata, sed ipsi verbo dat totum esse reale formaliter.

SECUNDVM COMMUNE est identitas ipsius intelligere, & intelligi, quod ex Ferr. in d. c. ii. pro- batur: In rebus sensibiliter motis eadem res sunt actio & passio; igitur similiter etiam in rebus quæ insensibiliter operantur & metaphysicè mouentur, una & eadem erit operatio, à qua principium o- perationis denominatur per modum agentis, & terminus operationis denominatur per modum patientis, atq; ita in proposito intelligere erit v- na operatio cum intelligi, solo respectu differens; nam quatenus significatur cum habitudine ad in- tellectum ut à quo est, nuncupatur intelligere; quatenus autem connotat habitudinem ad ter- minum, sc. verbum ut intellectum, appellatur in- telligi; & ideo S. D. ex hoc, quod esse intellectus est ipsum intelligere, & esse verbi est ipsum intel- ligi, bene deducit quòd idem est esse intellectus diuini & verbi; nam si intelligi est esse verbi & in- telligi est ipsum intelligere, de primo ad vltimū sequitur, quòd esse verbi sit ipsum intelligere; & quia intelligere est esse intellectus, consequens est ut esse verbi sit ipsum esse intellectus.

*Duo decla-
rantur se-*

PRIMUM autem speciale ac diuinæ naturæ proprium est, ut in Deo omnia vnum sint ubi non obstat relatiua oppositio. Ex quo sequitur,

non solum intelligi quod est esse verbi, idem esse quod est intelligere, sed etiam cum qualibet a- lia perfectione, & cum diuina natura ac Deo ip- so, & cum verbo cuius est esse; & consequenter verbum idem esse quod Deus & diuina natura: cum hæc nullam inter se habeant oppositionem relatiuam: ac proinde diuinum verbum à dicen- te procedere in eadem non solum specie, sed etiā numero natura; atque ideo eius processionem esse verè ac propriè generationem, & verbum ip- sum esse genitum ac Filium.

2. speciale.

SECUNDVM SPECIALE est intelligere di- uinum posse dupliciter sumi; vno modo ut est per- sonæ Patris, & sic idem est quod dicere & gene- rare, quod est notionale ac proprium Patris, & distinguitur realiter ab intelligi, prout i- dem est quod dici & generari, & ab ipso verbo expresso & generato propter oppositionem re- latiua: & hoc modo non sumit intelligere S. Th. in probatione vltimæ particulæ cum ait in Deo idem esse intelligere & esse. Alio modo sumitur in- telligere absolute; & sic idem est intelligere & in- telligi, quocunque modo sumatur intelligi; quia omne absolutum in diuinis idem est cum quoli- bet absoluto, & cum quolibet etiam relatiuo; & hoc modo sumit S. D. intelligere in dicta proba- tione. In 4. verò cont. gen. ubi ait, intelligere & in- telligi idè esse, sumit etiam intelligi absolute, sic enim propriè est esse verbi, & idem cum intelli- gere conuertibiliter; nam prout idè est, quod ge- nerari formaliter, relatio est per modum opera- tionis significata, quæ non est idem conuertibi- liter cum intelligere: quia hoc commune est, il- lud autem est verbi proprium.

Quomodo autem intelligere sit esse intelligen- tis, siue intellectus in actu, & sit idem non solum realiter, sed etiam formaliter quòd esse Dei, latè explicauimus sup. q. 14. a. 5.

IAM VERO ex dictis, de recentiorum expo- sitionibus, non est difficile iudicare. Et in primis ait Val. rationem consequentiæ esse, quia si in- telligere diuinum, propterea quod est in Deo, est ipse Deus, habens proinde naturam & esse diui- num: eodem etiam modo verbum diuinum, cum etiam ipsum maneat & sit in Deo, est ipse Deus. Omisit enim id, vnde pendet tota efficacia argumèti, quod ex proprijs ipsius intelligere & ver- bi deducitur: nimirum, idètitatem ipsius intelli- gere cū intelligi; ex quo infertur, quòd intelligi sit idem quod esse & essentia Dei, & quod Deus ip- se, & consequenter etiam verbum sit Deus ut supra deduximus. Secundum autè dictum expo- sitorum ratio D. Th. non procedit, nisi ex valde communibus: Et quemadmodum in antecedente assumpsit intelligere, potuisset quamlibet aliā assumere Dei perfectionem, puta potentiam aut intellectum & voluntatem, sic arguendo: si po- tentia diuina, propterea quòd est in Deo, est idem quod ipsemet Deus &c. eodem etiam modo ver- bum diuinum &c. Constat enim eandem esse vim argumenti quauis assumpta diuina perfectione in antecedente.

Et eodem morbo laborat expositio Mol. quā- uis propiè videatur ad veritatē accedere; ait enim sensum hunc esse probationis D. Th. quia intelli- gere essentiale & esse atque adeò essentia in Deo sunt idem, sit ut verbum quoad absolutum quod includit, & ratione cuius habet quòd sit imago & similitudo Patris, procedat ut simile in eadem numero natura & essentia cum Patre. Nam quòd verbum includat intelligere absolute sum- ptum, hic non probatur, nec probari potest ex proprijs & immediatis, nisi per hoc, quòd intel- lige-

*Ex pradi-
ctis conueni-
entibus, & spe-
cialibus reser-
uatis, ex-
positiones
Val. Mol.
& Zum.*

*Mol. expositio-
niorescilla.*

ligere est idem cum intelligi, quod est esse verbi. A Nec verum est, quod ratione talis essentialis verbum sit imago, sed ex propria ratione qua ab eo distinguitur.

*Zum. expo-
sitis resic.*

Quod autem ait Zumell. propositionem illam D. Th. intelligi est esse verbi exponi posse probabiliter de intelligi, non secundum eam rationem qua dicitur de re intellecta per denominationem extrinsecam, sed eo modo quo dicitur de ipsa ratione, quae est imago, per quam denominatur res intellecta: adeo, ut ipsa imago siue verbum sit ipsum intelligi, & contra: & secundum hoc rationem D. Th. sic procedere: Idem est quo res aliqua dicitur intelligens, & quo res cognita dicuntur intellecta; Ergo sicut Deus per suum esse est intelligens, ita illud idem esse est ipsum intelligi, a quo res ab eo cognita denominatur intellecta; Ergo & verbum diuinum habet illud esse idem, quod est intelligi: Hoc inquam nulla ratione potest subsistere; Nam communiter loquendo de verbo & intelligi, ut modo loquimur cum D. Tho. in illa propositione falsum est in doctrina D. Th. verbum idem esse quod intelligi. Et praeterea quae sup. diximus de ratione verbi, ac praesertim verbum esse obiectum interius, ac per se primo intellectum & terminum intellectione productum: manifeste conuincunt verbum nostrum ab intelligi realiter esse distinctum. Nec sequitur formaliter loquendo, ex hoc quod idem est, quo res aliqua dicitur intelligens, & quo res cognita dicuntur intellecta: quod sicut Deus per suum esse est intelligens, ita per illud idem esse sit ipsum intelligi, sumendo intelligi proprie pro operatione passiuæ; quia id quo tanquam medio res aliqua dicitur intelligens, & quo etiam res dicitur cognita, est similitudo & verbum ipsum; nec tamen sequitur, ergo id quo res dicitur intelligens vel intellecta tanquam medio est ipsum intelligi; nam intelligi non est id, quo res dicitur intelligi tanquam medio, sed tanquam operatione passiuæ sumpta: nisi apud eos qui verbum ab actu intelligendi non distinguunt. Praeterea falsum est, quod esse diuinum sit illud, quo Deus intelligit, formaliter loquendo. Denique falsum est, verbum esse id, quo Pater intelligit: sic enim Pater esset Sapiens Sapientia genita.

Alia vero interpretatio eiusdem Expositoris est; quod intelligere est esse verbi; quia vel per actum intelligendi verbum existit (ut ait Cai. & Ferrarier.) aut quia ad ipsum intelligere consequitur esse, quo verbum existit: vel coincidit cum expositione Cai. si de existere simpliciter loquatur, & non tantum de esse in tali ordine; vel secundum membrum non est verum; nam, ut diximus, esse in tali ordine est idem quod esse simpliciter in hac materia scilicet verbi. Ad rationes autem dubitandi in principio positas patet responsio ex dictis. Nec impossibile est plura distincta realiter eodem esse gaudere; ut patet de materia prima & composito, quorum est vnum esse.

*Conclusio-
nes dedu-
ctae, & pro-
batae.*

PRIMA CONCL. Intelligi ut intellectum interius, id est, ut per se primo intellectum in quo res intellecta manifestatur intellectui, est esse verbi, tam simpliciter quam in genere intelligibilium. Hæc patet ex dictis.

SECUNDA CONCLVS. Intellectio est esse intellectus speciei & verbi, sed diuerso modo. Hæc probata fuit ex doctrina Cai. Videnda sunt etiam ea quae diximus sup. q. 14. a. 4. & q. 12. a. 2.

TERTIA CONCL. Intelligere & intelligi sunt eadem operatio realiter diuerso modo concepta & significata.

QUARTA CONCLVSIO. Ex identitate ipsius intelligere & intelligi, tanquam ex proprio & innato principio, probatur in Deo verbi processionem esse generationem: adiuncta ad argumenti complementum, ceterarum omnium perfectionum identitate, tam inter se, quam cum personalibus & notionalibus. Hæc patet ex dictis.

CONTRA secundam concl. arg. Sylu. Quia si intellectio est esse intellectus, speciei & verbi, sequitur quod aliquando esset esse verbi vel speciei sine verbo & sine specie; At consequ. est absurdum, ergo & antecedens. Probatur sequela; quia intellectus est aliquando sine specie, & species sine verbo, & tamen non sunt sine suo esse; quia nulla res est sine suo esse: ergo erit aliquando esse speciei sine specie, & esse verbi sine verbo. Falsitas autem consequentis probatur; quia tunc esset perfectio sine perfectibili in his, quae non faciunt vnum per se ut actus primus & secundus; quod est ridiculum. Resp. nullam esse consequ. Sol. Nam cum esse intellectus & speciei ac verbi in genere intelligibili sit intelligere, quod non est sine verbo: nunquam erit esse verbi sine verbo. Ad probat. autem dico nullam rem esse sine suo esse simpliciter, quo est extra nihil: potest tamen esse sine tali esse, quod non est eius esse simpliciter; sicut in proposito, intellectus habet esse existens, antequam recipiat speciem; & species habet esse existentiae cessante intellectione: tamen non habent esse actuale sed potentiale tantum, in genere intelligibilium sine intellectione per quam fit intellectus in actu.

CONTRA eandem concl. arg. Zum. Primo: Si verbum & actus intelligendi sunt duae qualitates realiter distinctae; ergo vnaquaeque habet suum esse existentiae sibi proportionatum & identificatum; ergo neutra est esse existentiae alterius. Resp. nulla esse consequ. Nam licet intelligere sit qualitas; cum hoc tamen habet ut sit vltima actualitas, & consequenter sit formaliter esse verbi, tamen in genere cognoscibilium siue intelligibilium, quam in genere rerum.

Secundo: Licet vna res sit ab alia ut terminus ab actione, non ideo vna res est esse alterius: sicut illuminatio formaliter non est esse luminis. Resp. Soluit. argument. peccare secundum fallaciam, quae est secundum non causam ut causam. Nam causa ob quam intelligere est esse verbi in genere intelligibilium, non est quia verbum producat per intelligere, sed quia intelligere est vltima actualitas in tali genere, & consequenter hoc ipso est esse eorum, quae sunt in tali genere ut sic.

Tertio: Dato quod verbum sit imago, in qua res ad extra cognoscitur tanquam in obiecto proximo; tamen in illa imagine potest distinguere esse proprium & intrinsecum ab esse cognito. nam illud esse representatiuum obiecti ad extra, & illud esse imaginis adhuc haberet, quauis non intelligeretur actu, posset namque Deus conseruare illam imaginem nullo intelligente aliquid in illa ergo intelligi etiam respectu illius imaginis, esset denominatio extrinseca, & non aliquid illi inherens. Resp. falsum esse anteced. Ad probat. nego consequ. quia in eo casu tolleretur ratio verbi, de cuius ratione est ut sit terminus intrinsecus intellectionis.

Quarto: Beati non formant verbum, & Deus est obiectio 4. intra intellectum beatorum ut intellectus ab ipsis & concurret ad perfectionem intellectus in actu; & tamen intelligi non est esse Dei secundum intrinsecam denominationem; ergo &c. Resp. nulla esse consequ. Nam Deus non concurret in visione beata ad perfectionem intellectus in actu ut pars; cum non sit eiusdem ordinis cum intellectu creato; sed concurret ut primum principium & fons in-

tellectus in actu; Nam omnis actualitas in genere A
intelligibilium deriuatur à prima actualitate per
essentiā intelligibili, quæ est diuina essentia, quæ
speciali & ineffabili modo concurret cum intel-
lectu beati ad actum visionis, supplens vices spe-
ciei & verbi seclusis imperfectionibus; quarum
vna est, quod species & verbum actuentur per
intelligere creatum realiter ab eis distinctum.

Edi. cont. 4.
concl.

fol.

CONTRA quartam concl. est hoc arg. Manus
hominis & pes habent idem esse, cum per eadem
numero formam sint; & similiter materia & for-
ma; tamen manus non est pes, sed sunt duæ sub-
stantiæ; nec materia est forma; ergo non suffici-
ter concluditur in d. c. 11. intellectum & verbum i-
dem esse in Deo, ex hoc quod habent idem esse.
Resp. primò cum Ferrar. rationem D. Th. non esse
accipiendam vt vniuersalem in omni natura, sed
in simplicibus tantum, qualis est intellectus di-
uinus & id quod in ipso est. Secundo dico ratio-
nem D. Th. non procedere ex sola identitate esse
ipsius intellectus & verbi, sed etiam ex identitate
cæterarum perfectionum &c.

ARTICVLVS III.

Vtrum sit in diuinis alia processio à generatio-
ne verbi.

162
1. dist. 18. q.
1. a. 2. c. 4.
cont. c. 23. fi.
c. por. q.
10. a. 2.

AD Tertium sic proceditur. Videtur, quod non sit
in diuinis alia processio à generatione verbi. Ea-
dem enim ratione erit aliqua alia processio ab illa alia
processione: & sic procederet in infinitum, quod est in-
conueniens. Standum est igitur in prima, vt sit vna
tantum processio in diuinis.

163
c.

2. Præterea. In omni natura inuenitur tantum v-
nus modus communicationis illius nature. c. Et hoc ideo
est, quia operationes secundum terminos habent vnitatem,
& diuersitatem. Sed processio in diuinis non est nisi
secundum communicationem diuine nature. Cum igitur
sit vna tantum natura diuina (vt supra ostensum
est) relinquitur, quod vna sit tantum processio in diuinis.

q. 11. a. 3.

3. Præterea. Si sit in diuinis alia processio ab intelli-
gibili processione verbi, non erit nisi processio amoris, quæ
est secundum voluntatis operationem. Sed talis proces-
sio non potest esse alia à processione intellectus intelli-
gibili: quia voluntas in Deo non est aliud ab intellectu, vt
supra ostensum est. Ergo in Deo non est alia processio
præter processionem verbi.

q. 19. a. 1.

Sed contra est, quod Spiritus S. procedit à Patre, vt
dicitur 1o. 15. Ipse autem est alius à Filio, secundum illud
Ioann. 14. Rogabo patrem meum: & alium paracletum
dabit vobis. Ergo in diuinis est alia processio præter pro-
cessionem verbi.

Respondeo. Dicendum, quod in diuinis sunt due pro-
cessionēs, scilicet processio verbi, & quedam alia.

Ad cuius euidentiam considerandum est, quod in di-
uinis non est processio nisi secundum actionem, quæ non
tendit in aliquid extrinsecum, sed manet in ipso agen-
te. Huiusmodi autem actio in intellectuali natura est actio
intellectus, & actio voluntatis. Processio autem ver-
bi attenditur secundum actionem intelligibilem. Secun-
dum autem operationem voluntatis inuenitur in nobis
quedam alia processio, scilicet processio amoris, secundum quā
amatum est in amante, sicut per conceptionem verbi,
res dicta, vel intellectus, est in intelligente. Vnde & præter
processionem verbi, ponitur alia processio in diuinis, quæ
est processio amoris.

Ad Primum ergo dicendum, quod non est necessa-
rium procedere in diuinis processionibus in infinitum.
Processio enim, quæ est ad intra in intellectuali natura,
terminatur in processione voluntatis.

Ad Secundum dicendum, quod quicquid est in Deo, est
Deus, vt supra ostensum est. Quod non contingit in alijs

4.

rebus. Et ideo per quamlibet processionem, quæ non est
ad extra, communicatur diuina natura, non autem a-
lia natura.

Ad tertium dicendum, quod licet in Deo non sit a-
liud voluntas & intellectus, tamen de ratione voluntatis
& intellectus est, quod processionēs, quæ sunt secundū
actionem virtutis, se habeant secundum quendam ordi-
nem. Non enim est processio amoris nisi in ordine ad
processionem verbi. Nihil enim potest voluntate ama-
ri, nisi sit intellectu conceptum. Sicut igitur attenditur
quidam ordo verbi ad principium à quo procedit, licet
in diuinis sit eadem substantia intellectus, & conceptio
intellectus, ita licet in Deo sit idem voluntas, & intel-
lectus, tamen quia de ratione amoris est, quod non pro-
cedat nisi à conceptione intellectus, habet ordinis distin-
ctionem processio amoris à processione verbi in diuinis.

Ratio ordinis, & Sensus quæsit.

RATIO amoris prout conuenit intellectuali
nature, postulat, vt ab intellectu cōceptio-
ne procedat, vt dicitur hic in resp. ad 3. Igitur tra-
dicta processionis diuini verbi notitia, sequitur im-
mediatē processionis diuini amoris articulus. De
qua processione primò querit an sit & quid sit, quæ
duo simul in hoc explicatur articulo; in quo non
solū probatur esse processionē amoris in diuinis,
sed assertur etiā propria ratio distinctionis realis
à processione verbi. Quam distinctionis rationē
ex propria processionis, quæ secundum voluntatē
est, natura desumit A. D. in d. resp. ad 3. Tres sunt
in quæsito particule, ex quarū explicatione depē-
det ei⁹ intelligētia. Prima est dictio illa alia, quæ
significat verā alietatē; & quia coniūgitur cū ver-
bo sit, quod realitatem importat; denotat alietatē
realem; non enim, vt hic aduertit Cai. vera esset a-
lietas processionum, si non esset realis. Secunda est
dictio in, quæ propriē sumitur, prout denotat
modum essendi in aliquo formaliter. Tertia est
vox illa diuinis, quæ strictissime sumitur pro ijs
quæ verē sunt Deus: Nam quicquid formaliter
est in Deo, est ipse Deus; ac proinde querere vtrū
in diuinis præter generationem verbi sit alia pro-
cessio, est querere vtrum quemadmodum per eā
processionē quæ est verbi generatio procedit Fili-
us, qui est verus Deus: ita per aliquam aliam e-
manationem procedat alia persona, quæ sit verē
Deus. Quæ fuit quæstio tractata & definita in Cō-
cilio I. Constantinopolitano contra Macedo-
nium, qui negabat Spiritum S. esse verum Deum.

Forma Textus.

CONCL. est: In diuinis, præter processionem verbi, est
alia processio, quæ est processio amoris. Proba-
tur: In natura Intellectuali apud nos, præter pro-
cessionem verbi secundum actionem intelligibi-
lem, est alia processio, scilicet amoris secundum ope-
rationem voluntatis; Ergo in diuinis præter pro-
cessionem verbi, est alia processio &c. Antec. pro-
batur ex proportionali similitudine inter dictas
duas processionēs; quia sicut per conceptionē ver-
bi intellectum est in intelligente, ita per proces-
sionem amoris amatum est in amante. Conseq.
probatur: quia in diuinis non est processio, nisi
secundum actionem immanentē nature intellec-
tualis, quæ actio immanēs in natura intellectu-
ali est duplex scilicet intellectus & voluntatis actio.

Expositio Textus.

DOCTRINÆ huius explicatio pendet ex
multis pro subsequētis immediatē contro-
uerſiæ resolutione notandis; ex quibus perspicue
fient rationes terminorū, & vis discursus S. Th.
& alia quedam ad seq. a. & q. 37. cognitionem ne-
cessaria.

PRI-